



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Ven. Viri Thomæ Malleoli A Kempis, Canonici Regvlaris
Ordinis D. Avgvstini. Opera Omnia**

Thomas <von Kempen>

Dvaci, 1625

De admonitione Mariæ. VI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45790](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45790)

Gen. 27.

quod manducant: & tu subuenis necessitatibus eorū, apponēdo ea quæ Dominus concessit infirmitati corporis humani. Attende, quid Isaac patriarcha dixerit Esau filio suo: *Tolle (inquit) arma tua pharetram, arcum tuum. Cumq; venatu aliquid apprehenderit, fac mihi inde pulmentum, ut comedam, & benedicat tibi anima mea.* Similiter benedicet te, ô Martha, quicumq; recreatus fuerit cibo & potu in nomine Christi per ministerium tuum: nec erit tantū benedictio tua temporalis quædam retributio, sed potius æternę hereditatis firma perceptio.

§. 6. Admonitio Mariae.

Alloquenda est iterū soror Marthæ Maria, vt domi sedeat ac meditetur vt columba verba caelestia. Tanto affectu quæ pœterna sunt cogita felix Maria, tam suauigustu sapiant tibi interiora bona, vt minū cures exteriorem indigentiam. Minime quoque contristeris, si datur quandoque minus, si sapiat minus, si præparetur tardiū, si quid aliud defectuosum fuerit in Marthæ manibus. Non enim parum ipsa edificatur, quod tam sufficiens videaris in necessitate: nec erit ei alio tempore onerosum meliorare, cum Dominus donauerit, considerata patientia tua in tempore, quo non potest. Quanto tu fueris patientior, benignior, & quietior: tanto sorori tuæ fit omnis labor leuior, & occupatio tolerabilior. Considerat namque fructum spiritualis incrementi ex te, & consolatur non modicum in suo opere, quia tu pascaris spiritu magis quàm carne. Ipsa etiā gaudet coram Deo, quod tam facili contentaris ministerio, ne grauetur super modum: sed parcis labori eius, ac vacandi orandique indulges largius tempus. Satis reprehensibile esset, vt cum quietis iter ambulare deberes, molesta fias etiam laboranti.

§. 7. Increpatio tepidæ Mariae.

Maria etfi
Christo vi-
cina, tamē
alicubi re-
prehensibi-
lis.

In omnibus exhibe te mitem, patientem, deuotā, terrena non curantem: sed Deo unitam, & eius contemplationi crebrō intendentem. Alioquin quomodo locum implet Mariæ, si non inuigilas quieti & custodiæ tui? Aut non æstimas esse onus grauis iudicij, habere tantum prouidentiam in temporalibus, & minus vacare studiis spiritualibus. Time, ne auferatur pars tua à te propter ingratitude tuam, & detur sorori tuæ faciens fructus bonos. Quæ huiusmodi est, non dignē fungitur sancto otio Mariæ; sed expelletur ab omni mox spirituali dulcedine, ex iusta ratione. Sed mirū fortē videtur, quomodo aliquid reprehensibile de Maria sentiri possit, quæ à Christo laudari cognoscitur. Hic sciendum est, quod multi in loco sanctorum stant;